

lari nequit, et ideo in indice Breviarii refertur inter Cantica.

III. Sæculo VIII Hymnus iste cantatus fuit in fine Vigiliæ, seu Matutini, solummodo in Festis de Sanctis Papis Martyribus; a sæculo XI vero jam dicitur quemadmodum hodierna Rubrica Breviarii id præscribit, scilicet:

Dicitur post ultimam Lectionem Matutini « in omnibus Festis per annum, tam trium quam novem Lectionum, et per eorum Octavas, excepto Festo sanctorum Innocentium, nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus die Octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis a Pascha Resurrectionis inclusive, usque ad Adventum exclusive, et a Nativitate Domini inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive, et in omnibus Feriis temporis Paschalis, scilicet a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, excepta Feria secunda Rogationum in qua non dicitur. » (Rubricæ generales, Tit. XXXI, n. 1.)

Præterea Ecclesia in majoribus quibusdam et solemnioribus functionibus hunc Hymnum adhibet, ex. gr., in Consecratione Episcopi, in Benedictione Abbatis et Abbatissæ, in Benedictione et Consecratione Virginum; in Benedictione et Coronatione Regis; in Processionibus pro gratiarum actione, et in Translatione SS. Reliquiarum insignium; etc.

ARTICULUS III

De elementis quæ pertinent ad Orationem

§ I. ORATIONES

Q. 42. Quænam elementa Officii divini proprie dicuntur Orationes? Quare?

R. Omnia hucusque recensita Officii divini elementa sunt Orationes in lato hujus vocis sensu, etiam ipsæ Lectiones, quæ sunt non solum ad instructionem, sed et ad ædificationem. Nihilominus continet Officium divinum preces quasdam, quæ Orationes in strictiori vocis sensu ab Ecclesia vocantur, cum eminenter op-

portunæ orationis qualitates et characterem habeant. Etenim preces istæ, specialiter Orationes dictæ, in compendiosa brevitate complectuntur summam, substantiam, collectionem omnium eorum, quæ tamquam fructum Mysterii seu Festi a Deo præcipue optamus consequi. Et ideo omnes Horæ concluduntur eadem recurrente propria diei Oratione. Excipiuntur tantum Prima et Completorium, quæ proprias suas Orationes habent, numquam mutandas, præterquam in triduo mortis Christi.

Antiquitus Horæ Officii divini omnes absolvebantur sola Oratione Dominica alta voce recitata; Orationes strictè dictæ enim Missæ Sacrificio erant destinatæ, et in Officium serius, sæculo nempe VIII, invectæ fuerunt.

Q. 43. Quid præmittitur Orationi? Explica. Quænam notantur in Rubricis de conclusione Orationum?

R. I. Orationi præmittitur salutatio: *Dominus vobiscum; Et cum spiritu tuo.* Istorum verborum, quæ desumpta sunt ex libro Ruth (Cap. II, v. 4), sensus est: Dominus in vobis maneat, et gratiam vobis det mecum devote orandi; non vacat mysterio, quod populus salutanti Sacerdoti respondeat, non *Et tecum*, sed *Et cum spiritu tuo*, (juxta Apostolum, in II ad Tim., Cap. IV, v. 22, et ad Galat., Cap. VI, v. 22); quasi respondentes optent Dominum implere spiritum ejus devotione, qua magno cum fervore pro omnibus oret, ita ut ejus oratio non solum lingua proferatur, sed multo magis corde et spiritu. (De Ponte, *De Christiani hominis perfectione.* Tom. IV, Tract. 2, Cap. II.) Post salutationem dicitur insinuatio seu indictio Orationis per verbum *Oremus*, quod spectat et Sacerdotem et populum, ut communis sit, ore et corde, gratiarum actio et petitio.

Sacerdos, etiam quando solus Officium recitat, Orationi præmittit v. *Dominus vobiscum*; intendere namque debet se loqui cum Ecclesia; idipsum a Diacono quoque præstatur, absente Sacerdote, vel de illius præsentis licentia; ab aliis autem pro *Dominus vobiscum* semper pronuntiatur v. *Domine exaudi orationem meam*, et respondetur: *Et clamor meus ad te veniat.* (Rubricæ generales, Tit. XXX, n. 3.)

De constructione Orationis dicitur speciatim in Tractatu de Rubricis Missalis, Q. 69.

II. Circa conclusiones Orationum notat Rubrica: « Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur *Per Dominum*; si ad Filium, *Qui vivis et regnas*. Si in principio Orationis fiat mentio Filii, dicatur *Per eundem*; si in fine Orationis, dicatur *Qui tecum vivit et regnat*. Si fiat mentio Spiritus sancti, dicatur *In unitate ejusdem Spiritus sancti, etc.* »

« Quando plures Orationes dicuntur, prima tantum dicitur sub sua conclusione *Per Dominum*, vel aliter, ut supra: aliæ non concluduntur, nisi in ultima Oratione; sed unicuique Orationi semper præponitur *Oremus*, præterquam in Officio Defunctorum, in quo, alio modo quam ut supra, Orationes dicuntur: item in Litanis, Orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno *Oremus*, ut suis locis habetur. » (Rubricæ generales, Tit. XXX, nn. 4, 5.)

Pro expositione multarum ex Orationibus Officii cfr. Pichenot, *Les collectes, ou simples homélies sur les oraisons*. Paris, Bray. 1867. — Cfr. etiam quæ de Orationibus pulchre dicit Cabrol, *Le livre de la prière antique*. Paris, 1900, pag. 53 et 66.

Q. 44. *Quænam est præcipua ex Orationibus in Officio divino? Quid de ea præscribunt Rubricæ?*

R. I. Præcipua, et quæ a primis Ecclesiæ temporibus in Officio usitata fuit Oratio, est Oratio Dominica *Pater noster*.

In omni supplicatione, seu Litanis (de qua dicitur in Quæstione sequenti) semper occurrit. Usus etiam, sed recentior, habet, ut dicatur cum Salutatione Angelica *Ave Maria*, ante Horas, excepto Completorio. — Non dicitur ante Laudes, propter rationem indicandam Q. 50 et Q. 54.

II. « Oratio Dominica *Pater noster*, et Salutatione Angelica *Ave Maria*, semper dicitur secreto ante omnes Horas, præterquam ad Completorium, in cujus principio post Lectionem brevem *Fratres: Sobrii*, dicto Versu *Adjutorium nostrum*, dicitur tantum *Pater noster*, secreto; et in fine Completorii, statim post Orationem

beatæ Mariæ, dicitur *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Credo*, totum similiter secreto. Finitis Horis, et dicto Versu *Fidelium animæ*, dicitur similiter secreto *Pater noster* tantum, nisi alia Hora subsequatur: tunc enim dicitur semel tantum *Pater noster*, cum *Ave Maria*, pro principio sequentis Horæ; qua finita, dicitur *Pater noster*, ita ut semper dicatur in fine ultimæ Horæ. Si autem post Vesperas immediate sequatur Completorium, dicto *Fidelium animæ*, incipitur Versus *Fube domne benedicere.* »

« Quando in fine Orationis Dominicæ proferendum est clara voce *Et ne nos inducas*, semper in principio eadem voce proferuntur hæc duo verba *Pater noster*, ut in Precibus, et similibus; alias numquam proferuntur, sed dicitur totum secreto. Ad Laudes vero et Vesperas, quando in feriali Officio dicuntur Preces, totum dicitur clara voce ab Hebdomadario. » (Rubricæ generales, Tit. XXXII, nn. 1 et 2.)

Notare juvat quod in Oratione Dominica post *Sed libera nos a malo* additur *Amen*, quando Oratio dicitur tota secreto, ut ante et post Horas, et in initio Completorii; quando vero dicitur clara voce, vel in toto vel in parte, infra Horas, semper dicitur sine voce *Amen*.

Salutatio Angelica *Ave Maria*, et Symbolum *Credo*, semper dicuntur cum voce *Amen* in fine.

§ 2. PRECES

Q. 45. *Quid intelligitur nomine Precum? Quomodo distinguuntur?*

R. I. Nomine Precum intelliguntur quidam Versiculi (V.) cum suis Responsoriis (R.), qui certis diebus in Officio dicuntur ante Orationem, incipientes ab invocatione divinæ misericordiæ per supplicationem *Kyrie eleison*, seu *Domine miserere*.

A S. Benedicto († 543) vocantur « supplicatio Litanis »; sunt enim quasi reliquiæ antiquæ Litanis, quæ a primis temporibus semper dicebatur ante Orationem; et vetustissimus earum usus ex eo quidem probatur, quod primæ supplicationes, *Kyrie eleison*, retentæ fuerint uti vestigium illius linguæ, nempe græcæ, quæ usque ad sæculum tertium liturgica lingua fuit. (Cfr.

Cabrol, *Le Livre de la prière antique*, pag. 47 et 69.) Quas hodie Preces ad Laudes et Vesperas in Officio feriali dicimus jam tales invenire est in Officiis sæculi VII.

II. Distinguuntur Preces Dominicales, et Feriales.

Dominicales dicuntur ad Primam tantum et ad Completorium; quando non celebrantur Festa duplicia eorumque Octavæ; exceptis Vigilia Epiphaniæ, necnon Feria sexta et Sabbato post Octavam Ascensionis, in quibus, licet Officium sit tantum semiduplex, tamen non dicuntur. — Indicant istæ Preces humilitatem quæ in principio et in exitu diei maxime convenit.

Feriales, quæ etiam **flebiles** dicuntur, recitantur in Officiis dierum pœnitentiæ vel jejuniorum, quales sunt Feriæ Adventus et Quadragesimæ, Quatuor Tempora (exceptis Quatuor Temporibus Pentecostes), et Vigiliæ in quibus jejunium præscribitur (exceptis Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes); recitantur ad Vesperas, ad Completorium, ad Laudes et ad omnes Horas diurnas; et flexis genibus, quia his diebus majora humilitatis signa ostendere debemus.

Preces feriales numquam, uti ex dictis patet, dici possunt in Dominicis diebus; ad illas distinguendum a prioribus, istæ vocatæ fuerunt Dominicales, utpote quæ solæ in Dominicis diebus dicuntur, licet etiam aliquando recitentur in diebus per Hebdomadam.

In Rubricis generalibus (Tit. XXXIV) magis determinate exponitur quando tum Dominicales, tum Feriales Preces dici debent.

NOTA. I. Rubrica præscribit Preces Feriales dicendas esse flexis genibus: præscriptum hoc intelligendum est pro Officio quod in Choro dicitur, non autem pro privata recitatione, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 41, antiq. 5669, ad 44). Ubi vero genuum flexio in privata recitatione commode potest observari, convenire dicunt auctores ut tunc etiam Rubrica servetur.

NOTA. II. Preces feriales aliquando dicendæ sunt ad Laudes. Rubrica (Tit. XXXIV, n. 5) loquitur etiam de Precibus his dicendis « ad Matutinum »; sed per Matutinum hic intelligendæ sunt Laudes; et etiamsi Matutinum proprie dictum separatur a Laudibus, eo dicto, ante Orationem non debent dici Preces; etenim ad dubium: « Num Preces, quæ flexis genibus ad omnes Horas in Feriis pœnitentialibus dicuntur, pariter in fine Matutini, quando separatur a Laudibus, sunt addendæ? » S. Ri-

tuum Congregatio rescribendum censuit: « Negative. » (Decret. 27 Januarii 1899, n. 4011, ad 1.)

§ 3. COMMEMORATIONES COMMUNES SEU SUFFRAGIA SANCTORUM

Q. 46. Quid intelligis nomine Commemorationum communium, seu Suffragiorum? In quibus Officiis omittuntur?

R. I. Commemorationes communes seu Suffragia Sanctorum sunt preces (Antiphonæ, Versus et Orationes), quæ dicuntur in Laudibus et Vesperis, post Orationem propriam diei, et Commemorationes speciales Dominicæ, vel Festi, vel Feriæ, vel Vigiliæ, in Calendario seu Directorio declaratas. Sunt de Cruce, de S. Maria, de S. Joseph, de SS. Apostolis Petro et Paulo, de Patrono vel Titulo Ecclesiæ, et de Pace. Dicuntur de S. Maria et de SS. Petro et Paulo, tamquam Patronis totius Ecclesiæ; item ab anno 1871 de S. Joseph, postquam illum Pius IX, votis et precibus annuens totius catholici orbis, universalis Ecclesiæ Patronum declaravit; de S. Patrono vel Titulo Ecclesiæ propriæ, tamquam particulari protectore.

Suffragia hæc introducta fuerunt in Officio primum a monachis Galliæ; in Romano Officio non dicta fuerunt ante sæculum XI, et prima eorum mentio occurrit in Tractatu qui vocatur « Micrologus », et conscriptus fuit a quodam monacho Bernoldo de Constantia († 1100).

Vocantur Commemorationes Sanctorum, quia ad recollendum et commemorandum eorum sanctitatis meritum sunt institutæ; communes, quia non uni aut alteri Officio sunt particulares, verum cuilibet Officio ordinis infra determinandi communes. Dicuntur etiam Suffragia Sanctorum, quia ad Sanctos eas dirigimus, ad exposcendum et impetrandum eorum nobis salutare patrocinium.

II. Quo digniora sunt Festa, vel quo majoris momenti Mysteria alicui Tempori propria, eo magis mens et intentio in iis solis inhæret, cæteraque communiora ab iis seponit; unde minor numerus Orationum in Officio divino respondet majoris Festi seu Solemnitatis, vel præstantioris Mysterii celebrationi.

Ideo Suffragia prædicta omittuntur in quibusdam anni Temporibus, et in quibusdam Festis.

A) In quibusdam anni temporibus ; scilicet :

1° Ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ omittuntur : Commemoratio de Cruce, quia Mysterium Nativitatis Domini unice intenditur ; — Suffragia Sanctorum, ne ante Christum natum videamur implorare patrocinium eorum, quos Christus adventu suo gratia et sanctitate donavit ; — de Pace, quæ ante Christi Nativitatem minime exstabat.

2° A Dominica Passionis usque ad Octavam Pentecostes eadem omittuntur Commemorationes, ut Christo patienti tamquam præcipuo exemplari unice intendamus, et spem nostram ad Christi resurgentis et gloriosi singulare refugium et patrocinium elevemus. Attamen ad recolendum Crucis victoriam, ex qua Resurrectionis gloria exorta est, tempore Paschali fit specialis quædam et sola S. Crucis Commemoratio.

B) In quibusdam Festis ; scilicet :

1° In quocumque Officio quod majus est feriali, itaque in quocumque Festo etiam Simplici, et in Dominicis extra tempus Paschale, omittitur Commemoratio de Cruce.

2° In quocumque Festo duplici et infra Octavas Festorum, etiamsi de Dominica vel Semiduplici infra eas fiat, omittuntur omnes Commemorationes communes.

NOTA. Quando dicuntur Officia votiva de S. Joseph, Sponso B. M. V., feria quarta, vel de Immaculata Conceptione B. M. V. ritu semiduplici, in quibusdam Sabbatis, omittitur respective Commemoratio communis vel de S. Joseph, vel de B. Maria V., cujus dicitur Officium (cfr. Q. 154). Hoc autem non obtinet pro Commemoratione communi SS. Apostolorum Petri et Pauli, quando feria tertia recitatur Officium votivum omnium Sanctorum Apostolorum ; hanc enim non debere omitti declaravit S. Rituum Congregatio. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 7.)

Item notat Rubrica (Tit. XXXV, n. 2) quod tempore Paschali Commemoratio de Cruce, huic tempori propria, non dicitur in Officio votivo de SS. Eucharistiæ Sacramento, neque in Officio votivo de Passione Domini.

In tertia parte Tractatus dicitur speciatim de regulis servandis pro Commemoratione communi de Patrono, vel Titulo Ecclesiæ. (QQ. 229, 230, 231.)

§ 4. ANTIPHONÆ B. MARIE V. IN FINE OFFICII

Q. 47. Quænam, et quibus anni temporibus dicuntur in fine Officii Antiphonæ B. Mariæ Virginis ?

R. Quatuor recensentur finales Antiphonæ, ad laudem B. Mariæ V. in fine Horarum canonicarum pro temporis diversitate dicendæ :

1° *Alma Redemptoris Mater*, quæ dicitur a Vesperis Sabbati ante Dominicam I Adventus usque ad Vesperas inclusive diei 2 Februarii ; cum diversis Versu et Oratione tum per Adventum, tum a primis Vesperis Nativitatis Domini.

2° *Ave Regina cælorum*, dicta a Completorio diei 2 Februarii, etiam quando Festum Purificationis B. Mariæ V. transfertur, aut cum Octava celebratur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 10 Januarii 1693, n. 1890, ad 3, antiq. 3301, ad 6.) Dicitur autem hæc Antiphona usque ad Completorium inclusive Feriæ IV majoris Hebdomadæ.

3° *Regina cæli*, dicta a Completorio Sabbati sancti usque ad Nonam inclusive Sabbati post Pentecosten.

4° *Salve Regina*, quæ dicitur a primis Vesperis Festi SS. Trinitatis in Sabbato post Pentecosten usque ad Nonam inclusive Sabbati ante Dominicam I Adventus.

Quatuor istæ Antiphonæ tantum sunt divini Officii addita-
menta quædam, sero in Breviarium Romanum invecata ; etenim in eo non reperiuntur ante sæculum XVI ; verum apud Franciscanos et quosdam etiam Monachos in usu erant a sæculo XIII, sed post Completorium tantum ; cujus instituti ratio habetur in sequenti Decreto Capituli generalis Monachorum Angliæ : « Ne serpens versutus, quod vigilantes nequit subvertere, dormientes nocturne illudat, opus esse censemus, ante somnum ejus implorare suffragium, per quam exstitit caput ipsius serpentis contritum ; hinc est quod statuimus, ut singulis diebus statim post Completorium in honorem B. Mariæ V. una cum Choro cantetur Antiphona ; post quam sequatur de ea Oratio. »

Versus et Oratio quæ recitantur post Commemorationem S. Mariæ in Suffragiis, a Nativitate usque ad Purificationem, eadem sunt quam Versus et Oratio quæ dicuntur post Antipho-

nam *Alma*, a Nativitate usque ad Purificationem. Ex eo quod Antiphona hæc finalis Officii non reputetur tamquam ipsius Officii pars, sed tamquam additamentum, ut supra dictum fuit, intelligi potest quare Ecclesia non præscripserit mutationem aliquam faciendam. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 445.)

De auctoribus istarum Antiphonarum dici possunt sequentia : *Alma Redemptoris Mater* tribuitur a multis, sed, ut videtur, minus recte, Hermanno Contracto, monacho Benedictino in Reichenau († 1054); — *Ave Regina Cælorum* habet in nomenatum auctorem; — de Antiphona *Regina cæli* traditur ab Angelis eam fuisse compositam, eique additum a S. Gregorio Magno postremum versiculum : *Ora pro nobis Deum*, occasione processionis Romæ institutæ tempore Paschali contra pestis luem; in Antiphonario Basilicæ S. Petri Romæ, sæculi XII, describitur jam *Regina cæli* tamquam una ex Antiphonis in Vesperis Paschæ; — *Salve Regina* Hermanno Contracto, de quo supra, tribuitur, ejusque usus mire propagatus fuit a S. Bernardo; relatum est in Chronico Spirensi, S. Bernardum Sedis Apostolicæ ad Germanos Legatum, dum quadam die hæc Antiphona recitaretur in ecclesia Spirensi, genua flexisse, et ultima addidisse verba : *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*.

Q. 48. In quibus Horis debent dici istæ Antiphonæ, et quo corporis situ ?

R. I. Istæ Antiphonæ debent dici : A) extra Chorum : 1° in fine Completorii ; 2° « in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium ; alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ » ; B) in Choro « semper dicuntur quandocumque terminata aliqua Hora discedendum est a Choro. » (Rubricæ generales, Tit. XXXVI, n. 2.)

Post Completorium semper et in omni casu dicuntur istæ Antiphonæ, etiamsi statim post Completorium diceretur Matutinum sequentis diei ; præterquam Feria V in Cœna Domini, et Feria VI in Parasceve, quia tunc Completorium terminatur per Orationem : *Respicere, quæsumus etc.* ; — post alias Horas autem, earum recitatio omittitur, tum in Triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha ; tum quando sequuntur cum Officio diei vel Officium Defunctorum, vel Septem Psalmi Pœnitentiales, aut Litanïæ ; et etiam quando post aliquam Horam in Choro immediate subsequitur Missæ conventualis celebratio.

II. In Choro dicuntur stando, ob memoriam Resur-

rectionis Domini : 1° toto tempore Paschali ; 2° extra tempus Paschale a Vesperis Sabbati, etiam cum in Quadragesima ante meridiem persolvuntur, aut cum post Vesperarum tempus Officium Sabbati adhuc recitatur, usque ad occasum solis diei Dominicæ, etiam si recitaretur ante occasum solis Matutinum sequentis Feriæ secundæ ; quia hic ritus servatur non ratione Officii cujuscumque quod intra hoc tempus dicitur, sed potius ratione diei et Officii Dominicæ ; stando enim etiam dicuntur, cum Officium Dominicæ post solis occasum recitatur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Aprilis 1853, n. 3009, ad 8, antiq. 5183, ad 30 ; et 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 42, antiq. 4669, ad 45.) — Alias dicuntur semper flexis genibus, quocumque Festo, etiam ex solemnioribus occurrente.

SECTIO II

De singulis Horis canonicis

ARTICULUS I

DE MATUTINO

Q. 49. Expone variam et successivam disciplinam circa tempus recitationis Matutini.

R. 1° In Noctis Officio unicus erat priscis temporibus Nocturnus, qui constabat duodecim Psalmis, quemadmodum etiam nunc in feriali Officio et in primo Nocturno Dominicæ dici solet ; sed quia Dominica dies tota Deo colendo atque laudando sacra esse debet, cœperunt monachi noctem quæ Dominicam præcedit orando etiam transigere, et tribus diversis noctis temporibus seu horis Dei laudes cantare, quæ res nostros tres Dominicæ Nocturnos profecto demonstrat. — Non solum autem Dominicis diebus, sed etiam præcipuis anni Festis, noctis Officium in tres Nocturnos dividebatur ; sed hæc Festa olim exiguo erant numero, et idcirco trium Nocturnorum Officia minus frequentia. — Igitur, quibus diebus opus facere non licebat, Dominicis scilicet et Festis, tribus diversis noctis horis, con-